



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Historia Provinciæ Paraquariæ Societatis Jesv**

**Techo, Nicolas**

**Leodii, MDCLXXIII.**

Cap. 29. Cordubensis ditio ab Alfonso Barsena & Emmanuële Ortega  
utiliter excurritur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38528**

*Arminius  
& Graus in  
Brasiliam  
renavigant.*

Fidei urbem se recepit, quâ urbe solitis Societatis officiis procuratâ, cum eodem socio, non diu post, in Brasiliam renavigavit. At Ortega, Salonus & Fildius, non il libenter Peruanis Patribus (donec Generalis Præpositus super eâ re consultaretur) se adjungere. Franciscus Angulus Thomam Fildium & Joannem Salonium ad Sancti Jacobi urbem secum abduxit. Alfonsus Barsena Emmanuelem Ortegam socium, Apostolus Apostolum accepit: quocum relictam tantisper in Cordubensi agro falcem mirabili proventu receptum ivit.

**CAPUT  
XXIX.**  
*Cordubensis  
ditio ab Al  
fonso Barfe  
na & Em  
manuele  
Ortega uti  
liter excur  
ritur.*

**E**RANT tum ditio Cordubensis Indi partim Ethnici, partim sacro initiati fonte. Illi magna ex parte, novis servitiis & morum pravitate feroces, externum imperium rebellando renuebant. Hos (si nomina Christiana demeres) vix ab Ethnicis, deficiente Catechesi, distingueres. Utrosque aggressi Patres per abrupta montium, per sylvarum invia, nullo belligeræ gentis metu, fame totam regionem depopulante, reclamantibus Hispanis, certum adiri mortis periculum asserentibus, quaquaversum longè latèque Christi nomen prædicatum ibant; tanto successu, ut præter innumerabilem turbam confessione expiatam, bis mille & quingentos Ethnicos baptizarint, mille & quingenta paria pellicatu implicita legitimo vinculo conjunxerint, obvios omnes ad Christi amorem inflammare dicendo contenderint. Quibus in rebus patrands, quot labores exanthlarint, non facilè est compendio complecti. Cordubenses Indi in cavatis sub terrâ cavernis, nullo emittente supra terræ superficiem tecto, uni ab aliis longè femoti, domicatim vivunt: itaque, ut cuniculi, indagandi erant, priusquam erueres; eruti magnitudine beneficiorum obruendi, ut te audirent; audire non renuentes, plerumque per interpretes ob varietatem linguarum edocendi erant. Ea omnia præstitere socii, sæviante hyeme, cælum pro tecto, humum pro lecto habentes, adeò tenui victu, ut quàm plusculos dies numeratò viginti quatuor grana tritici turcici pro omnî cibo ad aquæ potum tantum adderent; quo tritico omnino deficiente, quinque solidos dies, præter Corpus & Sanguinem Christi, nihil penitus ori admoverunt. Et utriusque absque dubio moriendum erat, nâ cælum utilissimos homines mirabili modo conservasset, res sic sese habuit.

*Bis mille &  
quingenti  
baptizantur.*

*Indorum  
Cordubensium  
conditio.*

*Sociorum  
arumna.*

*Insidia.*

**CAPUT  
XXX.**  
*De mirabili  
Alfonsi Barfe  
na & Em  
manuelis  
Ortega  
transvectione.*

**E**MMANUELI Ortegæ fame jam propè enecto Alfonsus Barsena, aliquamdiu per preces consulto Deo, mandat, ut paulò post mediam noctem, sacrificio peracto, ad Hispani hominis villam, quinquaginta fermè leucis distitam, annonæ ergo iret; se, cum Catechumenos baptizasset, propè sequiturum. Ortega ægrè se avelli ab optimi Patris latere certo mortis in periculo sinebat, nam præterquam quòd ob diurnam famem vix jam reciprocaret animam, non ignorabat, per abruptissima loca, & per regiones ferocissimas, Hispanoquæ nomini infestissimas, sibi iter faciendum. Expiatis tamen totius vitæ noxis jubenti parendum potius quàm oblitandum censuit. Vix iter eques capessiverat, cum equus, in quo ibat, volare sibi visus est: sic per belligeros, & mortem in occursum minitantes Indos, protegente ubique Numine, incolumis evasit. Sub medium diem defectissimis viribus ex equo tantisper desiliens, in somnis cœlestia ostenta incredibili animi voluptate vidit, quibus ad majora pro Christo audenda & toleranda mirum in modum confortari se sensit. Denique resumpto equo, quamvis in trajectu paludis casu se totum madefecisset, paulò post meridiem eo, quo discesserat die, Hispanorum villam ingressus, comperit undecim horarum spatio octidui iter se fecisse. Re cognitâ, Hispani Europæum hominem cum Indorum comitatu & comitatu in expeditis equis ad Barsenam mittunt: vix miserant, cum ipse Barsena aliâ viâ ore hilari eandem villam ingrediens, Ortegam & Hispanos duplicato miraculo attonitos salutat. Miraculi fidem auxit Europæus ille, qui ad Barsenam missus, post duodecim tantum dies rediit, affirmans in itu & reditu se quàm citissimè iter semper confecisse. Igitur pro miraculo Deo gratiæ actæ sunt, cui non difficilius est per Angelum transportare Abacuc in lacum leonum, quàm Danieli persimiles viros transportare in domum panis.

*Emmanuelis  
Ortega mi  
rabili visio.*

CAPUT